pravorum operum tenebras declinemus? Quid est iam rogo quod in hoc mun- *Nota Magnum merorem.*
do libeat· ubique luctus aspicimus· undique gemitus audimus· destructe urbes·
eversa sunt castra· depopulati agri· in solitudinem terra redacta est· nullus
in agris incola· pene nullus in urbibus habitator remansit· et tamen ipse
parve generis humani reliquie adhuc cotidie et sine cessatione feri-
untur· et finem non habent flagella celestis iusticie· quia nec inter flagella
correcte sunt actiones culpe. Alios in captivitatem duci· alios detrun-
cari· alios interfici videmus. Quid est ergo quod in hac vita libeat fratres mei· si et talem
adhuc mundum diligimus· non iam gaudia sed vulnera amamus. Ipsa autem que ali- *Nota De roma quondam mundi domina.*
quando mundi domina esse videbatur· qualis remanserit roma conspicitis· in-
mensis doloribus multipliciter attrita· desolatione civium· impressione
hostium· frequentia ruinarum· ita ut in ea completum esse videamus quod contra
urbem samariam per hunc eundem prophetam longe superius dicitur. Pone ollam· *Ezechiel de samaria*
pone inquam· et mitte in eam aquam· et congere frusta eius in ea. Et paulo
post. Efferbuit coctio eius· et discocta sunt ossa illius in medio eius. Atque iterum.
Congere ossa que igne succendam· consumentur carnes· et coquetur universa com-
positio· et ossa tabescent. Pone quoque eam super prunas vacuam· ut incales-
cat· et liquefiat es eius. Tunc etenim nobis olla posita est· cum hec est civitas *Expositio.*
constituta. Tunc in eam aqua missa est· et frusta (*t frustra*) eius congesta sunt quando ad eam
undique populi confluebant· Qui velut aqua calefactionibus mundi fer-
vescerent· et quasi frusta carnium in ipso suo fervore liquarent. De
qua bene dicitur· efferbuit coctio eius· et discocta sunt ossa illius in medio
eius· quia prius quidem in ea vehementer incaluit actio glorie secularis.
Sed postmodum ipsa gloria cum suis sequacibus defecit. Ossa etenim·
potentes seculi· per carnes vero populi designantur· Quia sicut carnes por-
tantur ab ossibus· ita per potentes seculi infirmitas regitur populorum. Sed ecce iam

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
STAATSBIBLIOTHEK BAMBERG
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Staatsbibliothek Bamberg
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/sbbam_mscpatr69/0311